CELEBRIS CONSVLTATIO

Ex parte RR. Religioſorum Abbatiæ S. Arnulphi, apud Metenſes Latinè, & Gallicè facta.

Super poſtulatione ab ipſis Canonicè celebrata iuxta Concordata Germanica de Spectabili, & Clariſſimo viro Domino ANDREA VALLADERIO *Doctore Theologo, Metenſi Canonico, Regio Eccleſiaſte, & Metenſis Epiſcopatus Vicario generali.*

Quæ Doctores celeberrimi Tranſalpini cenſuerunt, conſciuerunt, ſubſcripſerunt.

Salua ſemper in omnibus, atque integra ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Reuerentia.



LVTETIAE PARISIORVM,
Ex Officina Nivelliana.
Sumptibus Sebastiani Cramoisy, via Iacobæa, ſub Ciconiis.

M.DCXII.

Digitized by Google

CONCORDATA
GERMANICA.

NICOLAVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, ad ſacram ſancti Petri diuina diſpoſitione ſedem ſublimati ſingulis quę pro vniuerſalis eccleſiæ vnione, & pace ac tranquillitate profutura fore conſpicimus, Apoſtolicæ prouidentiæ ſollicitudinem libenter intendimus, & ad felicem eorum proſecutionem & conſummationem opem, & operam impendimus efficaces. Nuper ſiquidem chariſſimus in Chriſto filius noſter Fridericus Romanorum Rex illuſtris, & nonnulli alij dilecti filij eccleſiaſtici, & ſeculares principes Inclytæ Germanicæ nationis ex vna, & dilectus filius noſter Ioannes ſancti Angeli Diaconus Cardinalis, in illis partibus Apoſtolicæ ſedis, de latere legatus; per nos ad dictas partes miſſus ſuffi-

cienter deſuper à nobis,&ſede Apoſtolica auctoritate ſuffultus ex aliis partibus, Romanæ eccleſiæ & dictæ nationis nominibus pro ipſius eccleſiæ vnione & tranquillitate inter eccleſiã & nationem præfatam perpetuo ſolidandis & cõſeruandis diuerſa rationabilia,&vtilia,ordinationes, & ſtatuta à partibus ipſis hinc inde approbata, laudata, concluſa, acceptata, & concordata fecerunt & ediderunt, nobiſque humiliter ſupplicari fecerunt, vt illis pro firmiori eorum ſubſiſtentia robur Apoſtolicæ firmitatis adijcere, necnõ auctoritatẽ potiorem & decretum interponere dignaremur. Nos igitur qui ſtatuta, ordinationes & Concordata prædicta, per nonnullos ex venerabilibus fratrib. noſtris ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalibus magnarum maturitatis, auctoritatis, & literaturæ viris diligenter examinari & diſcuti fecimus, eaque rationabilia, & ſalubria tam Eccleſiæ quã nationi prædictæ fore comperimus, de dictorum & aliorum venerabiliũ fratrum noſtrorum prædictæ eccleſiæ Cardinaliũ conſilio & aſſenſu, Apoſtolica auctoritate,& ex certa ſcientia approbamus, & ratificamus, laudamus, acceptamus, & præſentis ſcripti patrocinio com-

munimus iuxta modum & formam ſubſequentem.

1. Placet nobis ſuper eccleſiarum, & beneficiorum eccleſiaſticorum quorumcumque prouiſionibus vti iure ſcripto reſeruationibus & execrabilis ac ad regimen conſtitutionibus, modificatis vt ſequitur.

Ad regimen eccleſiæ generalis quamquam immeriti ſuperna diſpoſitione vocati gerimus in noſtris deſideriis, vt debemus quod per noſtræ diligentiæ ſtudium ad quorumlibet eccleſiarum, & monaſteriorum regimen, & alia beneficia eccleſiaſtica iuxta diuinum beneplacitum, & noſtræ intentionis effectum viri aſſumantur idonei qui præſint & proſint committendis eis eccleſiis, monaſteriis, & beneficiis prælibatis. Præmiſſorum itaque conſideratione inducti, & ſuadentibus nobis aliis rationabilibus cauſis nonnullorum prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum veſtigiis inhærentes, omnes Patriarchales, Archiepiſcopales, Epiſcopales eccleſias, Monaſteria, Prioratus, dignitates, perſonatus, & officia, necnon Canonicatus, & præbendas, ac eccleſias, cæteraque beneficia eccleſiaſtica, cum

Cura, vel ſine Cura, ſecularia, & regularia quæcumque & qualiacumque fuerint, etiamſi ad illa perſonæ conſueuerint, ſeu debuerint per electionem, ſeu quemuis alium modum aſſumi, nunc apud ſedem Apoſtolicam, quocumque modo vacantia & in poſterum vacatura, necnon per depoſitionem, ſeu priuationem, ſeu tranſlationem, per nos ſeu auctoritate noſtra factas & inanteà faciēdas, vbilibet; necnon ad quæ aliqui in concordia vel diſcordia electi, vel poſtulati fuerunt, quorum electio caſſata, ſeu poſtulatio repulſa, vel per eos facta renunciatio, & admiſſa noſtra auctoritate extiterit, ſeu quorum electorum, vel poſtulatorum, & inantea eligendorum, & poſtulandorum electionem caſſari, ſeu poſtulationem repelli, aut renuntiationem admitti per nos aut noſtra auctoritate continget apud ſedem prędictā vel alibi vbicumque, & etiā per obitum Cardinalium eiuſdem Romanæ eccleſiæ, aut officiariorum dictæ ſedis quamdiu dicta officia actualiter obtinebunt, videlicet Vicecācellarij, Camerarij, ſeptē notariorum, auditorum, literarum contra dictarum Apoſtolici palatij cauſarum auditorum correctoris, centum &

vnius ſcriptorum literarum Apoſtolicarũ, & viginti quatuor pœnitentiariorũ Apoſtolicorũ, & viginti quinque abbreuiatorum, necnon verorum commenſalium noſtrorum, & aliorum viginti quinque Capellanorum ſedis eiuſdem in epitaphio deſcriptorum, & etiam quorumcumque legatorum, ſeu collectorum ac in terris Romanæ eccleſiæ Rectorum, aut Theſaurariorum deputatorum, ſeu miſſorum hactenus vel deputandorum, aut mittendorum in poſterum vacantia, & inantea vacatura vbicumque dictos legatos vel collectores, ſeu rectores, aut Theſaurarios antequam ad Romanam curiam redierint, ſeu venerint rebus eximi contigerit ab humanis, necnon quorumlibet pro quibuſcumque negotiis ad Romanam Curiam venientium, ſeu etiam recedentium ab eadem ſi in locis à dicta Curia vltra duas dietas legales non diſtantibus iam forſan obierint, vel eos in antea ab hac luce trãſire contigerit, etiam ſimili modo quorumcumque Curialium peregrinationis, infirmitatis, ſeu recreationis, vel alia quacumque cauſa ad quæuis loca ſecedentium, ſi eos antequam ad dictam Curiã redierint in locis vltra duas dietas ab eadem Curia,

Digitized by Google

(vt præmittitur) non remotis dummodo eorum proprium domicilium non exiſtat ibidem, iam forſan deceſſerint, vel in poſterum eos cõtigerit de medio ſubmoueri, & nunc per obitum huiuſmodi vacantibus vel impoſterum vacaturis. Rurſus Monaſteria, Prioratus, dignitates, decanatus, perſonat⁹, adminiſtrationes, officia, Canonicatus & præbendas, & eccleſias, cęteraque beneficia eccleſiaſtica ſecularia, & regularia, cum Cura vel ſine Cura, quęcũque & qualiacumque fuerint, etiamſi ad illa perſonæ conſueuerint, ſeu debuerint per electionem, ſeu quemuis alium modum aſſumi, qui promoti per nos ſeu auctoritate noſtra ad Patriarchalium, Archiepiſcopalium, Epiſcopalium eccleſiarum, necnon Monaſteriorum regimina obtinebant tempore promotionis de ipſis factarum, nunc quocumque modo vacantia aut impoſterum vacatura. Necnon etiã quæ per aſſecutionem pacificam quorumcumque Prioratuum, perſonatuum, officiorum, Canonicatuum & præbendarum eccleſiarum, aut beneficiorum aliorum per nos ſeu auctoritate literarum noſtrarũ immediatè collatorum, ſeu conferendorũ, impoſterũ, præterquam ſi virtute gratiæ

expectatiuæ aſſecutio fiat, nũc vacantia, & inantea vacatura, plena ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis cum fratribus noſtris collatione præhabita, & matura deliberatione ſubſecuta, ordinationi, diſpoſitioni ac prouiſioni noſtræ, de ipſorum fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica reſeruamus: decernentes exnunc irritum & inane ſi ſecus ſuper præmiſſis, & quolibet eorum per quoſcumque quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

2. Item, placet nobis quod in Metropolitanis, & Cathedralibus, & immediatè non ſubiectis Eccleſiis & Monaſteriis immediatè ſubiectis Sedi Apoſtolicæ fiãt electiones Canonicæ, quæ ad dictam Sedem deferantur, quas etiam ad tempus conſtitutum felicis recordationis Nicolai Papæ tertij, quæ incipit, Cupientes, expectabimus, & elapſo dicto tempore ſi nõ præſentatæ, vel ſi præſentatę minùs Canonicæ fuerint, prouidebimus, & ſi Canonicæ fuerint eas cõfirmabimus, niſi ex rationabili, & euidenti cauſa, ac de dictorum fratrum noſtrorum conſilio de digniori, & vtiliori perſona duxerimus prouidendum, prouiſo quod confirmati Prælati, & per nos prouiſi Metropolitani ſuis

Digitized by Google

& aliis præſtiterint debita iuramenta, & alia ad quæ de iure tenentur, etiam in Monaſteriis dictæ Sedi immediatè ſubiectis, & aliis regularibus beneficiis, ſuper quib, pro confirmatione, vel prouiſione eiuſmodi ad Romanam Curiam venire non tenebuntur, ipſaque regularia beneficia ſub expectatiuis gratiis, non cadant: vbi autem pro monaſteriis ad dictam Curiam venire ſeu mittere conſueuerint, non aliter confirmabimus, vel prouidebimus quã ſuperius de Cathedralibus Eccleſiis eſt expreſſum; & de Monaſteriis monialium non diſponemus, niſi ſint exempta, & tunc per commiſſionem ad partes. De ceteris verò dignitatibus & beneficiis quibuſcumque ſecularibus & regularibus vacaturis vltra reſeruationes prædictas, maioribus dignitatibus poſt Pontificales in Cathedralibus ac principalib. in Collegiatis Eccleſiis exceptis, iure ordinario prouideatur per illos inferiores ad quos aliàs pertinet.

3. *Placet etiam nobis, quod per quamcumque reſeruationẽ gratiam expectatiuam, aut quamuis aliam diſpoſitionem ſubquacumque verborum forma per nos authoritate noſtra factam, vel faciendam, non impediemus nos, quominùs*

Digitized by Google

de illis cùm vacabunt de Februarij, Aprilis, Iunij, Augusti, Octobris & Decembris menſibus liberè diſponatur per illos, ad quos eorum Collatio, prouiſio, præſentatio, electio, ſeu quæuis alia diſpoſitio pertinebit, reſeruationibus aliis à præmiſſis ac diſpoſitionibus authoritate noſtra factis, vel faciendis, non obſtantibus quibuſcumque.

4. Quoties verò aliquo vacante Beneficio de Ianuarij, Martij, Maij, Iulij, Septēbris & Nouembris menſibus ſpecialiter diſpoſitioni dictæ Sedis Apoſtolicæ reſeruatis, non apparuerit infrà tres menſes à die notæ vacationis in loco beneficij quod alicui de illo Apoſtolica authoritate prouiſum fuerit, ex tunc & non antea ordinarius, vel alius ad quem illius diſpoſitio pertinebit de illo liberè diſponere poterit, & ad finem, vt hæc ordinatio Collationum Beneficiorum, non reſeruatorum per alternos menſes poſſit per dictam nationem publicari, & omnes qui ea gaudere voluerint tempus congruum habeant eam acceptandi, tunc quo ad dictam Sedem iij Kal. Iunij prox. futuri ipſa currere incipiat, ac durabit deinceps niſi in futuro Concilio de concenſu dictę nationis aliter fuerit ordinatum.

Digitized by Google

5. Placet ſimiliter nobis, quod circa prouiſionem dictæ Sedis ordinandam modus annatarum, hoc modo currat: de Eccleſiis Cathedralibus omnibus & Monaſteriis virorum duntaxat vacantibus & vacaturis ſoluentur pro fructibus primi anni à die vacationis ſumma pecuniarum in libris Cameræ Apoſtolicæ taxatæ, quę cõmunia ſeruitia nuncupantur, & ſi quæ exceſſiuè taxatæ ſint, relaxentur, & quod prouideatur ſpecialiter in grauatis regionibus ſecundùm qualitatem illorum temporum & regionum, ne nimium pręgrauentur; ad quod petentibus dabimus Cõmiſſarios in partibus, qui diligenter inquirant & relaxent. Tunc autem prædictæ pro media parte infrà annũ à die habitæ poſſeſſionis pacificæ totius, vel maioris partis ſoluantur, & pro alia media parte infrà annum ſequentem, & ſi infra annũ bis vel pluries vacauerit, ſemel tantum ſoluatur, nec debitum huiuſmodi in ſucceſſorem in Eccleſia vel Monaſterio tranſeat: de ceteris verò dignitatibus, perſonatibus, officiis, & beneficiis ſecularibus & regularibus quibuſcumque, quæ authoritate dictæ Sedis conferentur, vel de quibus prouidebitur, præterquam vigore

gratiarum expectatiuarum, aut cauſa permutationis ſoluentur annatæ, vel medij fructus iuxta taxam ſolitam à tempore poſſeſſionis infrà annum, vt debitum huiuſmodi ſimiliter in ſucceſſorem in beneficio non tranſeat, ſed de beneficiis quæ valorem viginti quatuor florenorum auri, de Camera non excedunt nihil ſoluatur.

6. Curratque hæc obſeruantia deinceps niſi eam ſimiliter in futuro Concilio de ipſius nationis conſenſu mutari cõtingat. In aliis autem quæ per felicis recordationis Eugeniũ Papam I V. etiã prędeceſſorẽ noſtrum prædictę nationi vſque ad tempus futuri generalis Concilij permiſſa, cõceſſa, indulta & decreta, ac per nos confirmata fuerint, in quantum illa concordiæ pręſenti non obuient, iſta vice nil volumus eſſe immutatũ, & per hoc quòd in Concordatis huiuſmodi, ſiue quibuſuis aliis eorum occaſione conficiendis litteris, propter competentiorem deſcriptionem Alemania ſpecialiter appellatur, natio ipſa cenſeri non debet à Germanica natione diſtincta, ſeu quomodolibet ſeparata: Præterea quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula in quibus de eis fides forſan facienda fuerit loca deferre,

eadem Apoſtolica authoritate decernimus quod earum tranſumptis Metropolitani dictę nationis ſigillo munitis tanquã præſentibus ſi exhiberentur litteris, plena fides adhibeatur, & perinde ſtetur, ac ſi dictæ præſentes litteræ forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Et inſuper irritũ quoq; & inane ſit, ſi ſecus ſuper his à quoquã, quauis authoritate, ſcienter vel ignoranter cõtigerit attẽtari. Nulli ergo, &c. P. approbationis, ratificationis, laudationis, acceptationis, communitionis, reſeruationis, cõſtitutionis & voluntatis, &c. Datum Romæ, apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſeptimo, quartodecimo Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri anno ſecundo. B. de Callio.

Digitized by Google

DE METENSI EPI-SCOPATV.

NICOLAVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Sic decet Apoſtolicæ Sedis priuilegia declarare, quod omnis dubietatis ſcrupulus exinde tollatur, & ea quæ in fauorem ordinariorum legitimis ſuadentibus cauſis, prouide facta ſunt litigiorum ſemotis anfractibus firmiter obſeruentur. Dudum ſiquidem fel. record. Eugenij Papæ IV. prędeceſſoris noſtri, qui ad plurimorum Principum, tam Eccleſiaſticorum quã ſeculariũ nationis Germanicæ humilẽ ſupplicationis inſtantiam omnes & ſingulos Eccleſiaſticorum Beneficiorum durante tempore neutralitatis per ordinarios collatores factas per ſuas patentes litteras collationes confirmauit, inhærendo veſtigiis, litteras præfatas, ac omnia in eis contenta auctoritate Apoſtolica, per quaſdam ex certa ſcientia confirmauimus, ac voluim⁹ quod venerabilis frater noſter

Digitized by Google

Iacobus Archiepiſcopus Treuerenſis, vnà cùm ſuo Clero & aliis ſibi ratione Eccleſiæ Treuerenſis ſubditis, ſub confirmatione huiuſmodi includeretur. Idem etiã ſtatuendo de ſuffraganeo eiuſdem Archiepiſcopi, ſcilicet Epiſcopo Metenſi; cùm ipſius Eccleſia Metenſi, necnon ſuis ſubditis Eccleſiaſticis, & ſecularibus quibuſcumque. Poſtquam nobis aut Legato noſtro de eius obedientia per patentes litteras conſtaret, & deinde per alias noſtras litteras ſub datas xiiij. Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri, anno 2. pro vniuerſalis Eccleſiæ vnione & tranquillitate perpetua inter Romanam Eccleſiam, & ipſam nationem Germanicam ſolidanda, & confouenda ad tollendum dubitationes quæ circa collationes beneficiorum in ipſa natione inter Apoſtolicos expectantes, & illos qui eſſent authoritate ordinaria prouiſi oriri poſſent; de venerabili fratrum noſtrorum S. Ro. Ec. C. conſilio voluimus, conſtituimus & ordinauimus: *Quod per quamcumque reſeruationem, gratiam expectatiuam, ſeu quamuis aliam diſpoſitionem ſub quacumque verborum forma authoritate noſtra factam, vel faciendam, non impediemus nos quominùs de illis cùm vacarint*

de Februarÿ, Aprilis, Iunÿ, Auguſti, Octobris & Decembris menſibus, illi ad quos ſpectaret collatio, prouiſio, præſentatio, electio, ſeu quæuis alia diſpoſitio dictorum beneficiorum liberè diſponere poſsint: prout in ſingulis litteris plenius continetur. *Cùm venerabilis frater noſter Conradus Epiſcopus, & dilecti filÿ Capitulum Metenſe nobis dudum per ſuos oratores obedientiam præſtiterint, ſitque idem Epiſcopus ratione Eccleſiæ Metenſis præfati Archiepiſcopi Suffraganeus, ac magna pars ne dum diœceſis, immò & ciuitatis Metenſis in Alemaniæ limitibus, in quibus per habitatores Teutonico eloquio communiter vtitur conſtituta exiſtat, nóſque etiam voluerimus quod Alemaniaà natione Germanica ſeparata non foret.* Nihilominus tamen à nonnullis vertitur in dubium an Epiſcopus, Capitulum, & Collatores ciuitatis & diœceſ. Metenſis ſub noſtris litteris huiuſmodi comprehendantur. Nos ad eiuſmodi ambiguitatis tollendum dubium authoritate Apoſtolica tenore præſentium decernimus & declaramus, *Noſtræ intentionis ſuper fuiſſe & eſſe, quod præfati epiſcopus, Capitulum, & Collatores ciuitatis & diœceſ. Metenſis Beneficia ad eorum collationes ſpectantia in ſex menſibus*

alternatiuis poſt præſtitam nobis obedientiam potuiſſent, & poſſent conferre, & quod ipſorum Beneficiorum poſſeſſores, in eorum pacifica poſſeſſione remanere debent, in omnibus & per omnia perinde, ac ſi ipſe Epiſcopus, Capitulum, & alij Collatores huiuſmodi in eiſdem litteris & totali eorum ſubſiſtentia compræhenderentur, & includerentur, ac in eis nominati ſpecificè & expreſſè fuiſſent, ideóque omnes & ſingulas collationes, prouiſiones, & alias diſpoſitiones Beneficiorum ciuitatis & diœceſ. Metenſis, per Epiſcopum, & Capitulum, & alios Collatores eorundem poſt præſtitam nobis obedientiam huiuſmodi in menſibus prædictis factas & in poſterum faciendas viribus ſubſiſtere debere, non obſtantibus gratiis expectatiuis ſpecialibus reſeruationibus, ac litteris Apoſtolicis, etiãſi de illis & eorum totis tenorib. à data eorundem, necnon nominib. & cognominibus perſonarum ſpecialis & expreſſa mentio præſentibus habenda foret; nec non conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæteríſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, decreti & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraïre, ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit

ſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datũ Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſexto, decimo Kal. Iunij, Pontificatus noſtri anno quarto.

CELEBRIS CONSVLTATIO.

Ex parte R. R. Religioſorum ſancti Arnulphi apud Metenſes, ſuper poſtulatione ab ipſis Canonicè facta iuxta Concordata Germanica, de ſpectabili viro Domino Andrea Valladerio, &c.

CIRCA PROPOSITAM conſultationem infraſcripti cenſuerunt Abbatiam ſancti Arnulphi Metenſ. Ordinis ſancti Benedicti prout cæteras regulares ac ſeculares eccleſias ciuitatis, & Diœceſ. Metenſ. compræhendi ſub concordatis I.

Digitized by Google

Germaniæ, & conſequẽter poſtulationem factam per R R. Priorem & Conuentum dicti Monaſterij,de ſpectabili,&venerabili viro Domino Andrea Valladerio Docto-re Theologo Metenſ. eccleſiæ Canonico, ac illius Epiſcopatus Vicario Generali, vti Canonicam per ſanctiſſimum D. N. Papam admittendam eſſe, quod breuiter, ſed efficaciter ſic oſtenditur.

1. Si quidem tempore conceſſionis concordatorum & nunc, magna pars Diœceſ. Metenſ. fuit & eſt in Alemania & illius limitibus, imo pars ciuitatis tunc communiter Theutonico eloquio vtebatur, ſed per eadem concordata cautum fuit Alemaniam à natione Germanica diſtinctam, aut ſeparatam non eſſe,ideoque cum ciuitas & Diœceſ. Metenſ. fecerint partem nationis prædictæ quod cum illa contractum fuit,cenſetur etiam cõtractum cũ ciuitate, & Diœceſ.prędictis.arguẽdo de toto ad partes ad vulgat. l.quæ de toto ff. de rei vendicat. etiam ſi hodie ſit ſub protectione Regis, quia ſtatus eccleſiarum non debet commutari ad mobilitatem neceſſitatum mundanarum. gloſ. in extra. ſedes Apoſtolica.verb.ereximus.de offic. deleg.

2. Confirmatur quia perſonæ eccleſia-

Digitized by Google

ſticæ dictarum ciuitatis & Diœceſ. fuerunt & ſunt in poſſeſſione pacifica, ſeu quaſi ab antiquiſſimo & immemorabili tempore eligendi, poſtulandi & aliter de beneficiis earumdem diſponendi, iuxta dicta concordata, & illorum vigore, ſcientibus patientibus, & approbantibus ſummis Pontificibus, & plures huiuſmodi diſpoſitiones à Rota ſæpius canonizatæ extiterunt, & per dictam Rotam declaratum fuit ciuitatem & Diœceſ. prædictas ſub concordatis verè & propriè comprehendi, vt in vna Parochialis coram R. D. Guidobono. 19. Nouembris 1552. teſte Caputaquenſ. deciſ. 178. parte prima : & in alia coram R. P. D. de Rubeis 29. Nouembris 1577. & in alia coram Illuſtriſſimo D. Blanchetto die 13. Iunij 1581. & aliis compluribus antiquioribus, & recentioribus.

3. Confirmatur ex Bulla fel. record. Nicolai Quinti authoris concordati, ſub datum Romę apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1450. 16. Kal. Iunij, Pontificatus eius anno 4. Per quam declarauit, & decreuit quod cū Epiſcopus Metenſ. eſſet Archiepiſcopi Treuerenſ. Suffraganeus, ac magna pars nedum Diœceſ. imo & ciuitatis Metenſ. in

Alemaniæ limitibus, in quibus per habitatores Theutonico eloquio communiter vtebatur, conſtituta eſſet, & voluiſſet Alemaniam à natione Germanica ſeparatam non eſſe, & verteretur à nonnullis in dubium an Epiſcopus, Capitulum, & collatores ciuitatis, & Diœceſ. Metenſ. beneficia ad eorum collationes ſpectantia in ſex menſibus alternatiuis poſſent conferre, & ipſorum beneficiorum poſſeſſores in eorum pacifica poſſeſſione remanere deberent: declarauit inquam, & decreuit ita eſſe, in omnibus & per omnia perinde ac ſi ipſi Epiſcopus, & Capitulum, & alij collatores huiuſmodi in dictis concordatis, & totali eorum ſubſiſtentia compræhenſi & incluſi, ac in eis nominati ſpecificè & expreſsè fuiſſent, ex quo ſequitur concordata prędicta eſſe Epiſcopatui Metenſi per ſe, & non per extenſionem conceſſa.

4. Non obſtat quod ex aduerſo obijcitur contrarium fuiſſe deciſum in cauſa Virdunenſis Epiſcopatus 18. Nouembris 1593. ſcilicet Epiſcopatum Metenſem tantum ſub concordatis per extenſionem compræhendi, ſicut Tullenſem, & Virdunenſem. 1. Quia cum verè compræhendatur

Digitized by Google

ſub natione Germanica ſaltem in maiori parte, non poſſunt dici concordata ad illas extenſa, appellatione enim ſimplicis venit mixtum in fauorabilibus qualia ſunt concordata. 2. Hoc fuit incidenter inter alios dictum, ac intereſſe habentibus dictæ ciuitatis & Diœceſis Metenſis non vocatis, & quæ ad cautelam obiecta ſunt, non debent veritatem immutare. 3. Vltra quod magna eſt differentia inter Eccleſiam Metenſem, & Virdunenſem, quia Eccleſiæ Virdunenſi Bulla alternatiuæ conceſſa fuit à Leone X. quæ dumtaxat merum priuilegium continet, vt fuit deciſum in Rota, teſte Puteo deciſ. 47. lib. 1. & corã. R. P. D. Seraphino in vna Virdunenſ. Canonicatus x. Aprilis 1581. At dicta Bulla Nicolai V. eſt merè declaratoria, & non extenſiua, ſicque omnia in concordatis contenta reſpicit. gloſ. in extrauag. Sedes. de offic. delega. in verb. declaramus.

5. Nec ſpecificatio alternatiuę menſium in Bulla Nicolai V. contenta reſtringit diſpoſitionem concordatorum, quia tunc dubitatio vlla non erat niſi pro collationibus ordinariorum collatorum, quæ per expectatiuas impediebantur ante concordata, vt patet ex tenore illorum & dictæ

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Bullæ,vbi ait(ad tollēdū dubitationes quę circa collationes beneficiorum in ipſa natione inter Apoſtolicos expectantes, & illos qui eſſent auctoritate ordinaria prouiſi oriri poſſent) poſtulationes enim & electiones non ſubijciebantur eiuſmodi expectatiuis, vt teſtatur Mandoſ.de ſignat. grat.in verb.expectatiuæ,nec regula reſeruatoria eccleſiarum Cathedralium & Monaſteriorum adhuc erat excogitata. Quæ igitur dubitationis tollendæ gratia ex abūdanti expreſſa fuerunt,non reſtringunt generalitatem.Bald.in l. Quæſitum.§. Si quis fundum. ff. de fund.inſtruc.& ſic ſummus Pontifex poſtulationem de qua agitur admittere debet, quia concordata habent vim contractus, nec debent per illum infringi. Rebuf. in tract. de Collat. verſ. inſuper quær. Gambar. de poteſt. leg. lib. 3. n. 207. Imò in ipſis concordatis decernit Pontifex immutari non debere, niſi per Concilium generale, idque de conſenſu nationis Germanicæ.

II. Iam posito Epiſcopatum Metenſem ſub concordatis Germanicis compræhendi, per ſe etiam patet vi concordatorum non modo ius eligendi, verum pariter etiam poſtulandi habere; nec ob-

ſtat quod obiici poſſet eligendi faculta-
tem in concordato principali tantum ex-
preſſam ad poſtulationem non eſſe exten-
dendam. 1. quia poſtulatio, & electio à
pari procedunt, & diſpoſitum in vno ex
æquiparatis, etiam in altero diſpoſitum
cenſetur. Gambar. vbi ſupra. num. 700.
maximè quia concordata ſunt fauorabilia,
& reducũt ad ius commune, ideóque ple-
niſſimè in ordinariorum fauorem contra
concedentem interpretanda. gloſ. in cap.
ſtatutum. de præb. lib. 6. in verb. numeran-
dum, tenuit Caſſad. deciſ. vnica. num. 2.
de pract. incip. concordata Germaniæ. Put.
deciſ. 108. lib. 2. Simonet. de reſeruat. q. 99.
num. 24.

2. Facit quod poſtulatio eſt præparato-
ria ad electionem, illique ſubſidiaria, & qui
habet mandatum, aut poteſtatem eligen-
di habet, & poſtulandi. Anchar. in cap. fin.
de poſtulat. præla. Decius in rub. eod. tit.
num. 5. & qui præſcripſit ius eligendi in ali-
qua Eccleſia dicitur etiam præſcripſiſſe ius
poſtulandi. Panor. in cap. Bonæ. 2. eod. tit.
vnumque reliquum includit, & Canones
antiqui permixtim, & promiſcuè iſtis vo-
cabulis poſtulationis & electionis, vſi ſunt
Anchar. & alij in d. cap. fin.

Digitized by Google

3. Ad hæc vna pars diſpoſitionis alteram declarat. l. ſi ſeruus plurium. §. fin. ff. de legat. Caſſad. deciſ. ſecunda de conceſ. præbend. & valet argum. ab vna ad aliam Mandoſ. ad reg. 32. quæſt. 8. num. primo. & Simonet. de reſeruat. qu. 85. num. 9. Cùm igitur diſpoſitionem beneficiorum ſummus Pontifex in duobus tantum caſibus, ſibi per dicta concordata reſeruauerit, videlicet, vbi poſtulatio repulſa, vel poſtulati renunciatio facta fuerit, & per eundem Pontificem aut illius auctoritate admiſſa, ſequitur quod in aliis caſibus poſtulatio præſeruetur à reſeruationibus Apoſtolicis: Exceptio enim firmat regulam in non except. C. Dominus, & ibi gloſ. 32. quæſt. 7. ergo ſubſequentia de electione diſpoſita à præcedentibus declarationē recipiunt. Quia ex præfatione ad diſpoſitionis ampliationem, declarationem, vel reſtrictionem argumentum ſumere licet Mandoſ. ad Roman. conſ. 16. Aldecan. Maſcard. de generali ſtatut. interpret. concluſ. 2. num. 181.

4. Præterea arguendo ab vſu patrisfamilias, & vſu Papæ præmiſſa comprobantur. Caſſad. deciſ. 3. num. primo. de renunciat. ſummus enim Pontifex conſueuit poſtu-

Digitized by Google

lationes ciuitatis Metenſ. admittere vigore concordatorum, & quia ſemper vltimus beneficij ſtatus attenditur, id patet ex magis modernis poſtulationibus, vna de Abbatia ſancti Symphoriani eiuſdem ordinis ſub datum 8. Id. Ianuarij 1559. tenoris ſequentis. *Dilecti filij Conuentus eiuſdẽ Monaſterij ſancti Symphoriani pro futuri inibi Abbatis electione celebranda vocatis omnibus qui voluerunt, &c. Conuenientes in vnum te etiam tũc Baccalaureũ in vtroque iure in ætate legitima conſtitutum in eorum, & dicti Monaſterij, vt præfertur, vacantis abbatẽ via ſpiritus ſancti concorditer poſtularunt, &c. Nos qui hodie per nos accepto quod tu cupiebas ob melioris vitæ frugem in dicto monaſterio, vna cum ſupradictis conuentu ſub regulari habitu domino famulari, &c. poſtulationem prædictam, quã de perſona tua canonicè fuiſſe celebratã inuenimus, de fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate prædicta admittimus.* Atque etiam ſummus Põtifex ad Regem reſcripſit, vt ſua authoritate poſtulationem Canonicam ipſius Praillon à ſede Apoſtolica admiſſam fulciret, & ad plenum effectum adduceret.

5. Eſt & altera ſanctiſſimi D.N. Papæ Pauli Quinti de Epiſcopatu, ſub data Id. Sep-

tembris anno 1608. tenoris ſequentis. *Paulus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, &c. Dilecti filij Capitulum dictæ Eccleſiæ Metenſ. ad quos iuxta concordata inter ſedem Apoſtolicam, & nationem Germanicam inita, ſub quibus Eccleſia ipſa compræhenditur, electio perſonæ idoneæ per Rom. Pontificem pro tempore exiſtentem, eidem Eccleſiæ dum vacat ad electionem huiuſmodi præficiendæ pertinere dignoſcitur, pro futuri Metenſ. Epiſcopi electione celebranda, vocatis omnibus qui voluerunt, potuernnt, & debuerunt electioni huiuſmodi commodè intereſſe die ad eligendum præfixa, vt moris eſt, conuenientes in vnum te tituli ſanctæ Suzannæ presbyterum Cardinalem in Epiſcopum Metenſ. concorditer poſtularunt, &c. Nos igitur, &c. poſtulationem huiuſmodi de dictorum fratrum conſilio auctoritate prædicta admittimus, &c.* quæ narratiua compræhenſionis repetita eſt in aliis litteris acceſſus, Illuſtriſſimi Domini Marchionis de Verneuil, ne ſyllaba quidem immutata, qui hodie Illuſtriſſimo Cardinali ſuccedit.

6. Ex quibus ſatis liquet compræhenſio, & conſuetudo interpretatiua quæ declarat poſtulationem ſub electionem venire, cui ſtandum eſt l. ſi de interpret. ff. de legib. cap. cùm dilectus, cum glo. in ver.

Digitized by Google

interpr. de conſuet. Put. deciſ. 15. lib. 3. etiã ſi alius intellectus de iure verior eſſet, Rota deciſ. 574. part. 1. in nouiſsim. Aldecan. Maſcard. vbi ſupra num. 159. poſt Socin. conſ. 145. libr. 1. & cum illa certam interpretationem introduxerit, eſt attendenda ne ſcandalum oriatur. cap. Quod dilectus. & glo. in verb. obſeruata. de conſanguin. & affin. Gambar. de poteſt. legat. libr. 10. num. 194. poſt Felin. in c. poſtulaſti. de reſcript. etiam ſi caſus poſtulationis in dicto monaſterio non euenerit, cùm ſatis interpretata ſint prædicta concordata per alias poſtulationes prædictas, quia conſuetudo interpretatiua non requirit præſcriptionem, ſed tantũ aliquos actus. Rota, dicta deciſ. 574. Put. deciſ. 283. lib. 1. & ſufficit quòd ita aliquando fuerit obſeruatum Aldecan. Maſcard. vbi ſupr.

7. Nec refragatur quòd per eadem cõcordata ſummus Pontifex ex rationabili & euidenti cauſa *de digniori & vtiliori perſona*, dictæ Abbatiæ prouidere valeat. Primum, quia id de electionibus etiam dicit, imò ne nominatis quidem poſtulationibus, odia verò ſunt reſtringenda, & in electionibus dummodo dignus electus

fuerit & vtilis, nunquam dignior aut vtilior inducitur; alioqui nulla electio ſecura eſſet, cùm ſemper alij aliis digniores inueniri poſſint, ſufficit enim vt ſit dignus electus. gloſſ. in cap. nullus inuitis. diſtin. 61. Item extra. de electione. cum nobis, cap. cùm dilecti. Deinde quia ſi dignior & vtilior dicto domino poſtulato aſſumi poſſit, eo caſu cauſa debet eſſe euidens, vt ipſa concordata dicunt, & iuridice probari, aliàs non præſumitur. Innoc. in cap. Quanto. de conſuet. Felin. in cap. quæ in Eccleſ. de conſtit. Hippolyt. de Marſil. ſing. 8. Roman. conſ. 484. & ibi Mandoſ. in additio. imò Cardinalis, etſi eminentior & Eccleſiæ vniuerſali vtilior, non tamen iſti particulari, vtile eſt enim Eccleſiæ, vt illa committatur tali perſonæ quæ reſidere in loco & curam eius perſcriptã valeat exercere, iuxta Lateranenſis Concil. ſtatuta, vt in cap. Relatum. de Cleric. non reſiden. alioqui illi erit penitùs inutilis, imò etiam pernicioſus.

III. Cessantibvs, etiã dictis concordatis poſtulatio prædicta videtur immunis à reſeruationibus Apoſtolicis, quia Conuentus ſancti Arnulphi eſt ſuffultus priuilegio ſibi per Clementem V. Conſi-

ſtorialiter in Concil. generali Viennenſi, dato, & propria Pontificis manu, ac per S. R. E. Cardinales ſubſcripto, ſub datum Viennæ per manus Arnaldi tituli ſanctæ Priſcæ Presbyteri Cardinalis S.R.E. Vicecancellarij, 15. Kal. Ianuarij, Indictione decima, Incarnationis Dominicæ, anno 1311. Pontificatus eiuſdem Clementis, anno ſeptimo. Quod quidem per regulam reſeruatoriam Monaſteriorum Cancellariæ Apoſtolicæ non videtur reuocatum nec ſublatum, quandoquidem nulla in dicta regula de illo mentio facta reperitur, nec in genere, nec in ſpecie. Gemin. conſ. 30. Calder. conſ. 11. de priuileg. id quod multis argumentis confirmat. Mandoſ. in reg. 4. Cancellariæ, qu. 7. generalis enim prouiſio nō refertur ad ſpecialiter prouiſa, præſertim verò ad priuilegium prædictū in quo etiam adeſt clauſula prohibitiua, ſeu inhibitio quę implicitum habet decretum irritans, l. Non dubium. C. de legib. Caſſad. deciſ. 2. de reſtit. ſpoliat. num. 6. Ioan. Andr. Gemin. & alij in C. Cùm de beneficio. de præla. lib. 6. eſt autem clauſula tenoris ſequentis. *Obeunte verò te nunc eiuſdem loci Abbate, vel tuorum quorumlibet ſucceſſorum, nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtu-*

tia ſeu violentia præponatur, niſi quem fratres communi conſenſu, vel fratrum maior pars conſilij ſanioris ſecundum Deum & beati Benedicti regulam prouiderint eligendum. Quod ſi per concordata etiam Gallica, quibus omnes electiones ſublatæ ſunt, tamen electiones in priuilegiis authenticis fundatæ in media Gallia inuiolatæ retinentur. §. per præmiſſa. Quanto magis Metis, vbi in fauorem electionum à tanto tempore concordata Germanica viguerunt?

IIII. NON OBSTAT QVOD POSTVLATIO dicitur eſſe meræ gratiæ, quia quando eſt debitè facta, & de idoneo dependet ex iuſtitia, ſeu ex generali gratia, non autem ex mera & ſpeciali, & ſuperior illam admittere debet, alias iniuriam facit poſtulato & Eccleſiæ poſtulanti, quo etiã modo omnes electiones gratia generali pontificis nituntur, tametſi ſint ſimpliciter ex iuſtitia.

